

DECRETUM

Pro aperiendo Concilio.

In nomine Sanctissimae atque individuae Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus Sancti; ad laudem et gloriam Unigeniti Filii Dei Patri consubstantialis, qui pro nobis caro factus est, unus est Dei et hominum Mediator et Auctor salutis nostrae; sub tutela et praesidio Matris eius beatissimae Virginis Mariae sub titulo de Guadalupe, universalis Patronae huius Reipublicae, Sancti Michaelis, Sancti Gabrielis, Sancti Raphaelis et omnium angelorum; Sancti Petri, Sancti Ioannis et omnium apostolorum; Sancti Philippi a Iesu, et sanctorum Mexici; Sanctae Rosae Limanae et sanctorum atque beatorum Americae; Sancti Martialis et sanctorum quorum patrocinio ecclesia Cathedralis et Dioecesis nostrae Provinciae muniuntur atque omnium sanctorum.

Nos Eulogius G. Gillow Dei et Apostolicae Sedis gratia Archiepiscopus Antequerensis de consensu Reverendissimorum Episcoporum Provincialium, seriem longo annorum spatio pro temporum difficultatibus in Ditione Mexicana interrupto, tandem renovantes, hoc Concilium celebrandum statuimus ad providendum de iis quae fidei et morum integritas ac rerum ecclesiarum recta ordinatio exigunt ac postulant. Ideoque

decernimus hac ipsa die octava mensis Decembris initio fieri Concilii Provincialis, quod nostra Metropolitana auctoritate indiximus denuntiavimus et promulgavimus. Nec proinde praesentis Concilii scopus est quaecumque necessaria aut utilia attingere, sed quaedam declarare et docere, quaedam vero statuere aut statuenda praeparare et exordium instituere decretorum quae in subsequendis Conciliis Provincialibus, Deo favente, opportune ferenda iudicabuntur.

Denique Concilium Antequerense aperiendum esse decernimus iamque apertum declaramus. — Datum Oaxacae, die octava Decembris anno Domini MDCCCXCII. — Ludovicus Silva — a secretis.

DECRETUM

De vocatis ad Synodum.

Nomina Rmorum Patrum, ceterorumque membrorum primi Concilii provincialis Antequerensis.

METROPOLITA PROVINCIAE.

Illm̄us ac Rm̄us D. D. Eulogius G. Gillow, Archiepiscopus Antequerensis.

EPISCOPI SUFFRAGANEI.

Illm̄us ac Rm̄us D. D. Crescentius Carrillo et Ancona, Episcopus Iucathanensis.

Illm̄us ac Rm̄us D. D. Michael Marianus Luque, Episcopus Chiapensis.

Illm̄us ac Rm̄us D. D. Perfectus Amezquita, Episcopus Tabasquensis.

R. D. Emmanuel Palacios, Canonicus Magistralis Antequerensis, Procurator Dioeceseos Tehuantepecensis.

PROCURATORES CAPITULORUM.

Pro Capitulo Metropolitano. — R. D. Hippolytus Ortiz et Camacho, Archidiaconus — R. D. Anastasius Santaella, Canonicus Poenitentiarius.

Pro Capitulo Iucathanensi. — R. D. Dr. Mauritius Zavala, Canonicus.

Pro Capitulo Chiapensi. — R. D. Dr. Ioseph Stephanus Gonzalez, Canonicus Theologalis.

CONSULTORES

Pro archidioecesi Antequerensi.

R. D. Aloysius Santaella, Archidioeceseos Secretarius.

R. D. Ioseph Maria Ruiz, Parochus.

R. D. Emmanuel Carrizosa, Parochus.

R. D. Ioannes Garcia, Canonicus honorarius.

Pro dioecesi Iucathanensi.

R. D. Dr. Gulielmus Hijuelos, Parochus.

R. D. Lic. Felix San Martino.

Pro dioecesi Chiapensi.

R. D. Dr. Ioseph Stephanus Gonzalez, Canonicus Theologalis.

R. D. Raymundus Antonius Zepeda, Parochus.

Pro dioecesi Tabasquensi.

R. D. Lic. Raymundus Valle.
R. D. Lic. Pontianus Perez.

Pro dioecesi Tehuantepecensi.

R. D. Dr. Raymundus Lopez, Praebendatus Guadalaxariensis.

R. D. Dr. Darius Suárez, Canonicus honorarius.

RECTORES SEMINARIORUM.

Pro Antequerensi. — R. D. Thomas Montes —
R. D. Petrus Rey.

Pro Chiapensi. — R. D. Emmanuel Caietanus
Zetino.

OFFICIALES CONCILII.

Indices Synodales. — R. D. Lic. Ignatius Merlin,
Decanus Antequerensis Capituli — R. D. Emmanuel
Palacios, Canonicus Magistralis — R. D. Anastasius
Santaella, Canonicus Poenitentiarius — R. D. Lic. Na-
talius Parada, Canonicus honorarius.

Promotores. — R. D. Emmanuel Aguirreolea, Ca-
nonicus honorarius — R. D. Carolus Gracida.

Notarii. — R. D. Lic. Natalius Parada, Canonicus
honorarius — D. Benedictus Espinosa, Diaconus.

Cancellarii. — R. D. Dr. Ludovicus Silva, Paro-
chus — R. D. Marianus Palacios, Canonicus honorarius.

Magistri caerimoniarum. — R. D. Angelus Vas-

concelos, Canonicus — R. D. Iulianus Castañeda —
D. Iacobus Martinez, Diaconus — D. Ioachim Ortiz.

Ostiarii. — D. Lucianus Carmona, Subdiaconus —
D. Aurelius Lopez.

CONCILII CONSULTORES.

R. D. Iosephus Epitatus Arrazola, Parochus —
R. D. Donacianus Gordillo, Parochus — R. D. Dr. Da-
niel Escobar, Parochus — R. D. Ioseph a Parres —
R. P. Aloysius Wilde, S. I. — R. P. Aquiles Gerste, S. I.

Historiographus. — R. D. Fortinus H. Vera, Ca-
nonicus.

Chronographus. — R. D. Emmanuel Ochoa.

DECRETUM

De secreto servando, et restituendis statutis.

Cum decreta Concilii provincialis, antequam pro-
mulgentur, ex praescripto Sisti V transmittenda sint
Sacrae Congregationi Concilii, ut ab ea expendantur,
facile dignoscitur, convenientissimum esse, ut alto ac
religioso silentio tegantur, donec Sancta Sedes ea re-
cognoverit, fuerintque postea ab Episcopis promulgata.
Neminem praeterea latet, recte et bene leges exigere,
ut via praecludatur divulgationi eorum, quae in Synoda-
libus congregationibus acta et dicta fuerunt, ne causa
praebeatur diversis incommodis, quae evenire possent,
si quae in secretis comitiis proponantur et dilucidentur,
rationes et argumenta deducta, responsiones datae, et
ratiocinandi modus, aliis non synodalibus, sive de Clero,

sive de populo revelarentur. Quapropter de consilio et consensu Reverendissimorum Patrum comprovincialium decernimus, ut post unamquamque sessionem restituantur statutorum schemata ad deliberandum proposita et distributa, et quorum iam in sessione publicatio peracta fuerit. In hac autem prima congregatione generali praeparatoria omnes synodales spondent in verbo sacerdotis, se de tenore decretorum nihil divulgaturos, donec examinata a Sancta Sede, et ab Episcopis promulgata sint: de iis vero quae in congregationibus peragentur, perpetuum et absolutum silentium esse servaturos. Quod in sequentibus sessionibus et congregationibus spondere tenentur, qui ad eas post hanc praeparatoriam admissi fuerint. – Datum Oaxacae die 8 Decembris an. 1892. – Eulogius, Archiepiscopus – Aloysius G. Santaella – a secretis.

DECRETUM

De professione fidei.

Nos, Eulogius G. Gillow, Dei et Apostolicae Sedis gratia Archiepiscopus Antequerensis. Cum fides initium sit et fundamentum salutis, atque inter omnia pastoralis muneris officia illud primum ac potissimum esse debeat, ut fides Catholica, quam Sancta Romana Ecclesia colit et tenet, incorrupta in hac provincia, semper vigeat, Nos, in hac nostra Synodo Provinciali huic praecipue exordiendum esse duximus ut eamdem Sanctam Catholicam Fidem quam corde credimus, una oris confessione profiteamur. Quo circa Sacrorum Conciliorum Tridentini et Vaticani decretis insistentes; professionem Fidei a Nobis et a Reverendissimis Episcopis caeterisque

in hoc Concilio insidentibus, palam et publice emitendam decernimus iuxta form. a Pio IV edit. in Const. *Iniunctum nobis* cum additionibus P. Pii IX. – Datum Oaxacae die octava Decembris, anno Domini MDCCCXCII. De mandato Ill^mi Archiepiscopi – Ludovicus Silva – a secretis.

DECRETUM

De publicatione ordinationis Tridentinae quoad residentiam.

Quamvis Dei misericordia in hac provincia sapientissimae Concilii Tridentini quoad servandam residentiam ordinationes minime negligantur: decretis tamen eiusdem sacrosanctae Synodi fideliter insistentes mandamus, ut, prout Patres Tridentini sancierunt, decreta ab iisdem edita, quae servandam residentiam concernunt, in hoc praesenti Concilio iterum publicentur; scilicet: Decretum sess. XXIII de Reform. cap. 1^o et decretum Pauli III sess. VI de Ref. cap. 1^o. Datum Oaxacae, die octavo Decembris anno Domini MDCCCXCII. – Eulogius, Archiepiscopus – Ludovicus Silva – a secretis.

DECRETUM

De modo vivendi in Concilio.

Nos Eulogius G. Gillow, Dei et Apostolicae Sedis gratia Metropolitanus Antequerensis:

Cum ipsemet Dominus noster Iesus Christus dixerit: *Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum*, Episcopi cunctique sacerdotes in Concilio coadunati pie contendere debent ut tanta promissione digni efficiantur. Et ideo Reverendissimos Do-

minos Episcopos, Fratres nostros, qui in hoc adsunt Concilio, obsecramus per Dominum Nostrum Iesum Christum et per caritatem Spiritus Sancti, ut omnes pietatis opes, omnesque Episcoporum virtutum facultates quorum ubertate praediti sunt, in commune ad spiritualia huiusce Provinciae commoda simul conferant. In primis vero illius memores beati Iacobi Apostoli sententiae quod omne datum perfectum desursum est descendens a Patre luminum, qui postulantibus sapientiam dat omnibus affluenter, Sanctissimis precibus conciliares istas actiones, quas hodierna die aggressi sumus, omnes adiuvari studeant, ut quod Spiritus Sanctus incepit hoc ipse perficiat. Et si quidem omni tempore oportet Episcopos irreprehensibiles esse, et omnimoda sanctitatis exempla praeberere, tum vero studio Religionis maxime fervere debent, cum ad eam omni modo provehendam, et ad leges in eius bonum statuendas, conveniunt. Omnes etiam sacerdotes monemus, atque per viscera misericordiae Dei obtestamur ut vitae innocentia et integritate, fide, religione et pietate omniumque virtutum ornamento prae luceant, atque Concilio suis orationibus et sacrificiis Divinum impetrent auxilium, mentibus nostris gratiae lumen exoptulantes, ut optime suscipiamus consilia, salutaria sanciamus, et sancita fideliter implere valeamus.

Omnes obtestamur, ut ad gloriam Dei et animarum salutem unice respicientes cum modestia et lenitate animi, prout Spiritus Sanctus dabit eloqui opportune, servato ordine, proferant opiniones, et in spiritu humilitatis caeteros sibi superiores invicem arbitantes. Praeterea, sequentem ordinem statuimus 1° Congregationes privatae arbitrio Episcoporum relinquuntur. 2° Feria II, IV, V et Sabbato, hora nona et dimidia,

cuiusque hebdomadae Patribus praesidentibus, congregationes particulares celebrabuntur; exceptis festis diebus. 3° Feria III et VI cuiusque hebdomadae eadem hora, locum habebunt congregationes generales. 4° Denique quotidie hora meridiana, prandium cum lectione Sacrae Scripturae, et hora octava post meridiem, coena cum lectione ut supra. – Datum Oaxacae octavo die Decembris, anno Domini MDCCCXCII. – De mandato Ill^mi Archiepiscopi – Ludovicus Silva – a secretis.

DECRETUM

De non praeiudicando.

Eulogius G. Gillow Dei et Apostolicae Sedis gratia Archiepiscopus Antequerensis: – Ad evitandas quaesiones quae oriri possent decernimus et declaramus, quidquid in hoc Concilio contigerit ex Ecclesiarum evocatione, id omne sine ullo gradus et honoris praeiudicio futurum; et si quem in hoc synodo acciderit praeter aut contra conditionem suae dignitatis incedere aut sedere, in omne volumus sine ullo gradus et honoris praeiudicio futurum. – Datum Oaxacae die octava Decembris anno MDCCCXCII. – De mandato Ill^mi Archiepiscopi – Ludovicus Silva – a Secretis.

DECRETUM

De non discedendo.

Nos Eulogius G. Gillow Dei et Apostolicae Sedis gratia Archiepiscopus Antequerensis, universis qui ad hanc Synodum convenerunt in virtute sanctae obedi-

tiae praecipimus: ne antequam Concilium expletum sit discedere praesumant, nisi ob rationabilem causam a Concilii Patribus cognitam et a nobis approbatam ac idoneo procuratore suffecto. – Datum Oaxacae 8 Decembris 1892 – de mandato Ill^mi Archiepiscopi – Ludovicus Silva – a secretis.

DECRETUM

De nominatione synodali iudicum.

Nos Eulogius G. Gillow Dei et Apostolicae Sedis gratia Archiepiscopus Antequerensis.

Iuxta sacrorum canonum institutum, audire oportet querelas, si quae sunt, et de excusationibus si adsint iudicare: qua propter, iudices constituere decernimus, quibus procuratorum documenta examinare, ac querelas et excusationes diligenter audire, atque pacifice componere, ac demum de omnibus una cum iudicio suo praevisio ad nos referre incumbit, ut de iis cum Patribus iudicemus et definiamus:

Quamobrem, nominamus iudices: Dominum Decanum Advocatum Ignatium Merlin: Dominum Magistralem Emmanuelem Palacios, et Dominum Canonicum Anastasium Santaella. – Datum Oaxacae 8 Decembris 1892 – de mandato Ill^mi Archiepiscopi – Ludovicus Santaella – a secretis.

DECRETUM

De Concilii officialibus.

Nos Eulogius G. Gillow Dei et Apostolicae Sedis gratia Archiepiscopus Antequerensis:

Quoniam ad huius Concilii progressionem nonnulli adiutores et ministri requiruntur, constituimus: Promotorem 1^m D. Canonicum Emmanuelem Aguirreola; Promotorem 2^m D. Presb. Carolum Gracida: Cancellarium 1^m D. Parochum D^r Ludovicum Silva: Cancellarium 2^m D. Canonicum Marianum Palacios: Notarium 1^m D. Presb. D^r Ioannem Herrera: Notarium 2^m D. Diaconum Benedictum Espinosa: Magistrum Caerimoniarium D. Canonicum Angelum Vasconcelos: Caerimoniarium 2^m D. Presb. Iulianum Castañeda: Caerimoniarium 3^m Iacobum Martinez: Caerimoniarium 4^m Ioachim Ortiz: Ostiarium 1^m D. Sub. Lucianum Carmona: Ostiarium 2^m D. Sub. Aurelium Lopez.

Datum Oaxacae 8 Decembris 1892. – De mandato Ill^mi Archiepiscopi – Ludovicus Silva – a secretis.

DECRETUM

De testibus synodalibus.

Nos Eulogius G. Gillow Dei et Apostolicae Sedis gratia Archiepiscopus Antequerensis:

In Conciliis Provincialibus, ut eorum decreta et constitutiones efficacius suos effectus sortiantur, nominandi sunt pro unaquaque dioecesi, duo, vel plures viri, doctrina et pietate conspicui, qui testes synodales

constituantur et in proxima provinciali Synodo referant quid emendandum vel corrigendum sit. Nos autem talia obsequendo et de consensu RR. PP. Comprovincialium sequentes testes instituimus: Pro Archidioecesi Oaxacae: D. Decanum Ignatium Merlin. D. P. Canonicum Anastasium Santaella. D. Advocatum C. Natalium Parada: Pro Dioecesi Iucathanensi: D. D^r Norbertum Dominguez. D. Canonicum Advocatum Laurentium Barada: Pro Dioecesi Chiapensi: D. Decanum Ioannem Facundum Bonilla, D. Theologalem D^r Ioseph E. Gonzales: Pro Dioecesi Tabascensi: D. Canonicum H. Nicanorem Hernandez, D. Presb. Ioannem Mayal.

Datum Oaxacae XII die mensis Martii anno Domini MDCCCXCIII. — De mandato Ill^mi Archiepiscopi — Ludovicus Silva — a secretis.

DECRETUM

De subscriptione decretorum.

Nos D^r D. Eulogius G. Gillow Archiepiscopus Antequerensis.

Cum R^morum Patrum votum decisivum habentium ius et officium sit Concilii Provincialis decreta et constitutiones subscribendi hisce litteris decernimus et mandamus, ut omnes huius Concilii Provincialis Antequerensis Patres antequam suis singulis dioecesibus redeant omnia decreta subscribant.

Datum Oaxacae XII die mensis Martii A. MDCCCXCIII — De mandato Ill^mi Archiepiscopi — Ludovicus Silva — a secretis.

DECRETUM

De Concilio finiendo.

Nos D. D. Eulogius G. Gillow Archiepiscopus Antequerensis Dei et Apostolicae Sedis gratia etc.

Iamiam, Deo favente, omnia quae toto nostro corde ad huius Provinciae fidem firmandam, bonos mores constituendos, et constitutiones et decreta ad maiorem Dei gloriam efformanda in mente habuimus, in finem deducta sint, quapropter Deo gratias agentes pro tanto beneficio, assentientibus Patribus Comprovincialibus, decernimus et mandamus huic concilio finem fieri et iam factum esse. — Datum Oaxacae XII Martii 1893 — Ludovicus Silva — a secretis.

DE HUIUS CONCILII DECRETIS

Titulus unicus.

I. — Omnia et singula quae in hoc Provinciali Concilio a nobis praescripta sunt, praesertim ea quae ad disciplinam in nostra Provincia observandam attinent, ita sancire et munire volumus, ut eos omnes ad quos eorum observantia spectat, sub sanctae obedientiae praecepto ad ea exsequenda et implenda perstringamus, sub poenis in ipsis Decretis contentis, et si in aliquibus non expressae fuerint, sub poenis a canonico iure statutis, vel iis deficientibus, sub illis quas unicuique huius Provinciae Episcopo, pro suo arbitrio et prudentia contra inobedientes et transgressores iniungendae et statuendae efficaciter videantur.

II. — Cum a Summo Pontifice Sixto V, per litteras die 28 Octobris anni 1589 datas, declaratum et praescriptum fuerit quod Provinciale Concilium Mexicanum Tertium in vigore observandum foret usque dum novum Provinciale Concilium celebraretur, et cum praeterea haec nova Provincia Antequerensis duobus ab hinc annis a Summo Pontifice Leone XIII, feliciter regnante, erecta fuerit, in qua initum et celebratum est hoc primum Provinciale Concilium; consequens duximus declarare et declaramus praedictum Concilium Mexicanum Tertium vigens tantum remanere in iis quae ita expresse statuimus in hoc nostro, in ceteris vero derogatum iri; in iis autem rebus quae in hoc Antequerensi Concilio aut non continentur, aut non exprimuntur, nostram Provinciam Iuri communi subiectam declaramus, servatis tamen omnibus privilegiis Ecclesiis Americae a Sancta Sede concessis, quae integra conservare optamus et desideramus.

III. — Omnia et singula quae, adiuvante Deo, et eius honorem et gloriam et Ecclesiae utilitatem quaerentes et intendentes, votis concordibus, in hoc primo Antequerensi nostro Concilio decrevimus et sancire volumus, obsequentissimo, quo debemus animo, iudicio Sanctae Romanae Ecclesiae omnium ecclesiarum Matris et Magistrae, recognoscenda, emendanda et corrigenda humiliter subiicimus.

IV. — Haec Decreta et Constitutiones non promulgentur, nisi postquam a Sancta Sede recognita et approbata fuerint; et hac approbatione impetrata et obtenta summa cura typis edantur, et ab unoquoque huius Provinciae Antistite in Dioecesana Synodo ab ipso celebranda, promulgentur et publicentur, non ultra sex menses post Apostolicam approbationem, ut sic

duobus post hanc promulgationem peractam mensibus exactis, vim legis habeant, et omnes ad quos attinet sciant se eisdem adstringi. Si vero in aliqua Dioecesi huius Provinciae, quavis de causa Dioecesana Synodus adunari non possit, Episcopus, absque ea, publicationem faciet, modo et forma quae opportunior ipsi videatur.

V. — Quodvis dubium prudenter exortum circa sensum aut intelligentiam alicuius Decreti nostri Concilii, quaevis etiam gravis difficultas quae in eorum executione suboritur, afferantur ab Episcopis ad Metropolitam, cuius declarationes vel solutiones, omnibus rite perspectis, omnes recipiant et servent, usque dum aliud Provinciale Concilium celebretur, salva tamen semper Sedis Apostolicae Auctoritate.

Quae omnia et singula nos omnes consentientes et definientes subscribimus; Oaxacae, die duodecima mensis Martii, anno Domini MDCCCXCIII — Ludovicus Silva — a secretis — de mandato Ill^mi Archiepiscopi.

BEATISSIME PATER,

Archiepiscopus de Antequera et Comprovinciales Episcopi, in hoc primo Provinciali Concilio Antequerensi coniuncti, ad pedes Sanctitatis Tuæ humiliter provoluti, reverenter exponunt se nihil magis in votis habere quam suas preces adiungere petitionibus a quamplurimis Oecumenici Concilii Vaticani Patribus oblatis circa definitionem dogmaticam de Assumptione corporis Beatissimæ Dei genitricis Virginis Mariæ Immaculatae in coelum.

Ad hanc auspicatissimam definitionem efflagitandam prae oculis habemus amplissima momenta et solidissima fundamenta ab illis Patribus luculenter exposita in suis iteratis postulationibus: Accedit etiam pro congrua ratione, quod tum antiquissima nostra Metropolitana Mexicana Ecclesia, tum haec nostra de Antequera a Sanctitate Vestra recenter erecta, sub eiusdem Beatissimæ Virginis Assumptionis Titulo creatæ sint. Pro certo etiam habemus ex hac definitione dogmatica a Sede Apostolica promulgata, omnes Christi fideles, non solum in hac nostra Provincia, nec tantum in universa Mexicana ditione, sed etiam per totum orbem, maximam consolationem recepturos esse, tum propter ardentissimam devotionem quam erga eandem Immaculatam Virginem in hoc mysterio profitentur, tum etiam quia in universa nostra regione fideles omnes,

a teneris annis in hac doctrina ita instruuntur ut pie et devote illam teneant et credant.

Quapropter, Beatissime Pater, nos ferventi animo desideramus ut vota fidelium adimpleantur, et a Sanctitate Tua humiliter petimus ut sicut Summus Pontifex, venerabilis memoriae Pius IX, dogma de Immaculata Virginis Mariæ Conceptione definivit et declaravit, ita Sanctitas Tua, ut Christi Domini Vicarius, infallibili oraculo Tuo declarationem dogmaticam de gloriosa Assumptione in coelum Virginis Mariæ, ad similitudinem Filii sui et Salvatoris Domini Nostri Iesu Christi in coelos, ut cum illo super Angelos et sanctos regnet in aeternum, pronuntiet et definiat, et Ecclesiae Catholicae de fide credendam proponat.

Hanc nostram postulationem ad pedes Sanctitatis Tuæ, quos humiliter deosculamur, reverenter subiicimus, Tuam Apostolicam benedictionem suppliciter expectantes.

Oaxacæ, die 12 mensis Martii ann. 1893.

- ✠ EULOGIUS, *Archiep. Antequerensis.*
- ✠ MICHAEL MARIANUS, *Episcopus Chiapensis.*
- ✠ RAPHAEL, *Episcopus de Querétaro.*
- ✠ CRESCENTIUS, *Episcopus Iucathanensis.*
- ✠ PERFECTUS, *Episcopus Tabasquensis.*